Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



ezechiel

reliquam pedibus uestris turbabatis. Et oues mee hus que comculcata fuerant pedibus uestris pascebantur. Et que pedes uestri turbauerunt hoc biberunt. Propter hec dicit dominus deus ad uos. Ecce ego ipse iudico inter pinsue pecus et macilentum. Pro eo quod lateribus et humeris impinsebatis et cornibus uestris uentilabatis omnia infirma pecora donec dispserentur foras. Et saluabo gregem meum et non erit ultra in rapinam. Et iudicabo inter pecus et pecus. Et suscitabo super ea pastorem unum qui pascat ea seruum meum dauid ipse pascet ea et ipse erit eis in pastorem. Ego autem dominus ero eis in deum et seruus meus dauid princeps in medio eorum. Ego dominus locutus sum. Et faciam cum eis pactum pacis et cessare faciam bestias pessimas de terra et qui habitant in deserto secure dormient in saltibus. Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem et deducam imbrem in tempore suo. Et pluuie benedictionis erunt. Et dabit lignum agri fructum suum et terra dabit germen suum. Et erunt in terra sua absque timore et scient quia ego dominus. Cum contriuero cathenas iugi eorum et eruero eos de manibus imperantium sibi et non erunt ultra in rapinam gentibus neque bestie terre devorabunt eos sed habitabunt confidenter absque ullo pauore. Et suscitabo eis germen nominatum. Et non erunt ultra in ignominiam fame in terra neque portabunt amplius opprobria gentium. Et scient quia ego dominus deus eorum sum cum eis et ipsi populus meus domus israel. Ait dominus deus. Vos autem greges mei greges pascue mee estis homines. Et ego dominus deus uester. Dicit dominus deus.

Et factus est sermo domini ad me dicens. Fili hominis pone faciem tuam aduersus montem seyr et prophetabis de eo et dices ei. Hec dicit dominus deus. Ecce ego ad te mons seyr et extendam manum meam super te et dabo te desolatum atque desertum. Vrbes tuas demoliar et tu desertus eris et scies quia ego dominus. Eo quod fueris inimicus sempiternus et conclusisti filios israel in manu gladii in tempore afflictionis eorum in tempore iniquitatis extreme. Propterea uiuo ego dicit dominus deus quoniam sanguinem tradam te et sanguis te persequetur. Et cum sanguinem oderis sanguis persequetur te. Dabo montem seyr desolatum et desertum et auferam de eo euntem et redeuntem et impleto montes eius cadauueribus occisorum suorum. In collibus tuis et in uallibus tuis atque torrentibus interficti gladio cadent. Insolitudines sempiternas tradam te et ciuitates tue non habitabuntur. Et scietis quia ego dominus deus. Eo quod dixeris. Due gentes et due

a xxxb.